



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Valerii Andreae Desselii Erotemata Ivris Canonici

Andreas, Valerius

Francofurti & Lipsiae, 1720

Ioachimi Hagemeyeri De Autoritate Juris Civilis Et Canonici.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63277](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63277)

IOACHIMI HAGEMEIERI
DE
AUTHORITATE
JURIS CIVILIS
ET CANONICI.

*De Jure Canonico in genere, ejus parti-
bus & autoritate, Interpretibus &
Canonibus Apostolicis.*

AD exemplum Juris Justinianei condide-
runt Pontifices Romani diversis tempo-
ribus Decreta & Canones, in quibus multa
quidem prodita videmus, quæ veterum JCto-
rum responsis lucem aliquam dubiis & apud
Interpretes controversis sæpe certitudinem af-
ferunt; plurima tamen reprehensionem vix
effugiunt, ipsis Canonistis id non diffidenti-
bus, qui in hoc Jure varios errores, maximè
autem ex Decreto Gratiani observarunt, adeo
ut Antonius Augustinus, Episcopus Ilerden-
sis emendationem illius duobus libris jam
olim suaserit. Certè Covarruvias testatur
lib. 4. Resolut. cap. 12. 13. 14. se Gratiani De-
cretum a trecentis mendis liberasse.

Quicquid sit, sæpe Pontifices sine causa re-
cesserunt a iure Civili, multa quoque non re-
cte

a

cte

Et intellexerunt, quædam etiam in præ-
 cium laicorum inserta sunt, teste Nicolao Ebo-
 hardo a Middelburg in Locis Legalibus a
 rosimili ad cap. *Quaquam. exiv. de exempti
 Cleric.* Potuissent ea, quæ ad disciplinam Ec-
 clesiasticam, ad ordinem Judiciorum & his
 similia spectant, paucis libris, meo iudicio,
 exponere, atque illo labore supersedere, quem
 repetendis textibus Juris Civilis impende-
 runt.

Constat Jus Canonicum aliquot Volumi-
 nibus Decreto, Decretalibus, sexto Decreta-
 lium, Clementinis & Extravagantibus, quæ
 omnia jussu Gregorii XIII. Pontificis & cemen-
 data & scholiis illustrata sunt. His postea
 accesserunt Pauli Lancellotti Institutiones,
 adeo, ut libris iuris Civilis propemodum
 respondeat.

Decretum compilavit Gratianus sub Pon-
 tificatu Alexandri III. sine publica autoritate,
 subsequentibus annis tamen Volumen hoc
 modo receptum est, ut Felinus *cap. 2. de re-
 scripti.* recte monuerit. Opiniones Gratiani
 non semper recipi, sed reprobari in multis
 Cum vero in libro Decretorum quatuor spe-
 cies autoritatem reperiantur, Doctorum Ec-
 clesiæ, ipsius Gratiani, Paleæ, imperatorum
 & Jctorum; Canonistæ primæ speciei ple-
 nam autoritatem, dictis Gratiani & Paleæ per
 exiguam aut nullam fere tribuunt; Quartæ
 specie

Speciei autem seu legibus Civilibus Decreto
incertis relinquunt suum vigorem.

Non pigebit adducere verba Roberti Ma-
rantæ apprime huc facientia ex illius Speculo
part. 3. n. 24. & seqq.

Connumeratur etiam inter Leges Canoni-
cas & liber Decretorum, qui liber non fuit
conditus a summo Pontifice, nec ab habente
potestatem legis condendæ, sed fuit compila-
tus per quendam Magistrum Gratianum, qui
fuit Monachus & Sacræ Theol. Magister, ut
testatur Archiepiscopus Florentinus *part. 3.
Chron. tit. 17. cap. 6.* & fuit Monachus Sancti
Proculi in Tuscia & valde fuit exaltatus in Ci-
vitate Bononiæ: qui Gratianus ex Sanctorum
Patrum dictis compilavit dictum Opus & Vo-
lumen Decretorum, appellatusque libri Decre-
torum; quia Decretis Sanctorum Patrum fuit
compilatus, nec reperitur, quod fuerit ap-
probatus per Summos Pontifices, unde non
potest dici Authenticus, ut dicit Abbas *in
Proem. Decret. in cap. Rex Pacificus & Joan.
Andr. & Anton. de Butrio in cap. 2. de Rescri-
ptis.* licet aliqui dicant, quæ fuit approbatus
per Eugen. Papam; tamen quicquid sit, quia
est communiter approbatus a populo, & pu-
blice legitur in Scholis, sicut alii libri Authen-
tici, ex hoc censetur Authenticus & facit ple-
nam fidem: ita dicit Abb. *in d. c. 2. in fin. de
Rescript.* Verum est advertendum, quæ in li-
bro

bro Decretorum reperiuntur quatuor species
 auctoritatem; videlicet prima species est au-
 thoritas Sanctorum Patrum, prout plurimum
 omnia fere Capitula ibi existentia sunt extra-
 cta ex dictis Sanctorum. Secunda species est
 auctoritas ipsius Gratiani auctoris, quando ipse
 loquitur siue auctoritate Sanctorum. Tertia
 auctoritas est cuiusdam Pacæ, ut quando in
 Rubrica alicuius Capituli Decretorum scri-
 ptum est *Palea*. Quarta species est auctori-
 tas Juris consultorum & Imperatorum Secu-
 larium, quoniam sunt multæ leges Civiles in-
 fertæ & Canonizatae in Decretis. Quoad pri-
 mam speciem scilicet de Auctoritate Sancto-
 rum Patrum, verum est, quod ex diuturna
 approbatione censetur authenticus dictus li-
 ber, & possunt illa Decreta Sanctorum alle-
 gari ad decisionem causarum, ita intelligit
 Abbas *d. cap. 2. de Rescript.* ibique Felinus.
 Non autem quod alias tres auctoritates, se-
 cundum eos ibidem. Nam auctoritas Gra-
 tiani non reperitur approbata, neque est Au-
 thentica, nec etiam auctoritas. Nam *Palea*
 fuit quidam discipulus Gratiani, qui sua aucto-
 ritate inseruit nonnulla Capitula in Decretis
 quæ nullam faciunt idem, ut dicit Joan. An-
in addit. Specul. in tit. de disputat. & allegat.
§. final. aliique ex qua non fuerunt facta ad
 habente potestatem, sicut & dicta & solutio-
 nes Gratiani reprehenduntur, ut non bene
 fuit

fuit locutus. Quoad quartam speciem scilicet, de legibus Civilibus insertis in Decretis, quod minime sint approbatæ, ut per hoc ferventur de iure Canonico, ex quo Gratianus qui inseruit, non habuit talem auctoritatem, unde dictæ leges remanent Civiles, prout ante erant, & perinde habentur, ac si ibi non essent insertæ, & sic non servantur ut Canones, Ita dicit Abbas *in d. cap. 2. de Rescript.*

Huius Decreti tres sunt partes, adeoque absolvitur illud centum & una distinctionibus, causis triginta sex cum Tractatu de pœnitentia & quinque distinctionibus de Consecratione.

Inter hos Canones Gratiani sunt Capitula nonnulla, quibus vox PALEA apponitur. Multi ea capita, in quibus negotia non usque adeo magni momenti continentur, hoc nomine appellari censuerunt, alii quasi *παλαιά* id est, antiqua. Alii vero Paleam fuisse Gratiani discipulum existimant, eumque Canones hosce prioribus Gratiani adiecis-
 se. Ab hac opinione diversam refert Marta Tract. *de Iurisdic. part. 1. c. 30. n. 30. & 37.* quasi hæc Capitula, quibus Paleæ vocabulum affixum est, ipse Gratianus pro suis non agnoverit, postquam alicui Cardinalium hoc Decretum ad perlustrandum exhibuisset. Cæterum illi qui iussu Gregorii XIII. Jus Canonicum emendarunt, in præfatione ad Decretum ex collatione antiquissimorum exemplarium infe-

a 3

runt

runt; has Paleas esse additiones non eodem tempore factas, ad primam Collectionem Gratiani, in margine primum adscriptas, fortasse ab ipso Gratiano (ut fit) inter componendum aut relegendum, quas deinde quidam in contextu posuerit, interdum cum aliquo discrimine. Habet aliquam veri speciem hac conjectura, sed cum ipsi Canonistæ aliter sentiant, qui pariter antiquis Codicibus usi fuerint, non facile a priori opinione recesserim. Communis sententia est, hos Canones esse instar Paleæ, & nullam mereri fidem. Alciatus *Parerg. lib. 12. cap. 3. Constat consensu omnium, ea, quibus est talis Inscriptio, certa fidei non esse, neque ceu authentica allegari posse.* Hoc tamen de Paleis Decretalium c. 17. *de Election. in 6. Clem. unde iurejurando,* aliisque intellectum non volo, quæ vim legis habent. Quamvis autem *Distinct. 96. c. 4. ex sententia ipsius Everhardi in Top. loco a verisim. Palea sit, & pro Palea illis inferatur,* multum tamen grani attulit Ecclesiæ. De Donatione Constantini nihil quidquam apud autores extare testatur Volaterranus in vita Constantini, præterquam in all. *Distinctione* eamque in antiquis Voluminibus non contineri, autor est Antoninus Archiepiscopus Florentinus in *Chronicis.*

Principio igitur in his, quæ ad fidem Florentiæ & allegationes Authorum pertinent non

non est omnino Gratiano credendum, quod in tenebris illius seculi, quo Decretum compilatum est, vix potuit aliter evenire *Maxima*, ait, *Contius l. i. lect. subs. c. 10. cum minimis conferam, cum Imperatore Monachum, cum Legislatore Rapsodum, cum Iustiniano Gratianum, locos ex ejus rapsodia quosdam notabo, ex quibus mihi perquam suspecta esse capit ejus in citandis authoribus fides.* Occurrunt præterea in his Canonibus non pauca, quæ ipsi pontificiis Scriptores vehementer improbant. Ita *Cap. hac ratione 31. q. 1.* in quo secundæ nuptiæ vocantur fornicatio, plane rejicitur, quasi hoc a Gratiano in Decretum suum conjectum sit ex opere imperfecto, quod Chrysostomo falso adscribi contendunt. Nec enim aliter Gratiani Capitula recipere Catholicos, quam quatenus sunt desumpta ex probatis authoribus, testatur *Martinus Delrio disquis. Magic. l. 5. sect. 16. Communis & indubitata est sententia, etsi Gratiani Decretum a sede Apostolica sit receptum, ita tamen receptum esse; ut fides dictorum sit penes autorem, & tanta sit eorum Canonum, quos in medium producit, autoritas, quanta est fontium, unde illa manarunt. Nec enim quisquam eorum, qui ius Ecclesiasticum vel a limine salutavit, ignorare potest, multa in Decreto haberi, quæ postea Decretalibus, Sexto Clementinis & Extravagantibus abrogata fuerunt, nonnullaque a Gra-*

a 4. tia-

tiano per errorem inserta esse, qua cum veritate pugnare deprehenduntur. Et hæc fortassis ratio est, quare in Bulla Gregorii XIII. qua Decreto præfixa est, illa verba non reperiantur (*utamini de cætero in Iudiciis & Scholis*) quæ reliquis præfationibus Decretalium inserta sunt. Quæ cum ita sint, falsum est quod scribit Hunnius *lib. de aucthor. jur. c. 14.* hoc Decretorum opus per omnia & in singulis partibus, non minorem auctoritatem atque Decretales Epistolas obtinere.

De Decreto hætenus. Altera iuris Canonici pars continet Decretales Epistolas, quæ quatuor diversis Pontificibus editæ sunt. Primum Volumen Decretalium collegit Gregorius IX. Pontifex per Raymundum Cappellanum suum, quod in quinque libros divisum est. In primo agitur præcipue de Rescriptis Pontificum & illorum auctoritate, de forma eligendi Ecclesiasticos, de potestate & officio Episcoporum aliorumque Ordinum 2. de processu Judiciario 3. de Vita & Bonis Clericorum 4. de causis matrimonialibus, 5. de Criminibus.

Eadem fere est dispositio Libri sexti Decretalium, qui autore Bonifacio VIII. conscriptus est opera Guilielmi, Berengarii & Richardi. Hunc in Galliæ regno nonnunquam receptum fuisse tradit Cuiacius *ad cap. 4. extr. de sponsal.* quod, quæ in illis extant Decretales

les epistolæ, pleraque in odium & amulationem Philippi Francorum Regis credantur publicatæ. Quamvis autem in Sexto ignoretur autor primi capituli. *de frigid. & malef.* propterea tamen non caret iuris autoritate, cum sit relatum in compilationem. Bonifacium postea secutus est Clemens V. qui Prædecessorum suorum Sanctiones composuit, morte autem præventus non edidit, quas deinde Joannes XXII. nonnihil immutatas produxit in lucem. Hodie a primo authore vocamus Clementinas. Post Clementinas idem Pontifex Joannes XXII. alias Constitutiones edidit, quæ quia numero erant pauca, nec peculiare Volumen complere poterant, Extravagantium nomen obtinuerunt. Reliquæ Constitutiones, quæ post mortem Joannis prodierunt, ad discrimen priorem Extravagantium Communes dictæ sunt, quod non unius, sed plurium Pontificum Responsa & Epistolæ isto Volumine continerentur. Porro licet apud quosdam interpretes recentiores Juris Canonici, ad Decisiones causarum adducantur interdum Regulæ Cancellariæ & Constitutiones Marchiæ Anconitanæ (Pontificibus paret hæc provincia) quæ Ægidianæ dicuntur; ambæ tamen non faciunt Jus Generale, quod Romæ animadvertit, cum ibi subsisterem. Regulæ namque Cancellariæ extra curiam Romanam non valent Constituti-

onibus Aegidianis vero utuntur in Statu Ecclesiastico duntaxat.

Omnibus hisce Sanctibus Pontificum Canonistæ plenam auctoritatem tribuunt. In Imperio Romano & maxime in terris Protestantium receptum est Jus Canonicum in vii consuetudinis, idque non totum, sed quatenus res in eo propositæ cum æquitate conveniunt, jurisque naturalis & divini vestigia imitantur. Jasonis conclusio est *ad l. edita. C. de edendo*, quam probet Myns. *ad pr. Inst. de action. n. 6.* ubicunque aliquid clare decisum est lege Pontificia, in quo Juris Commentatores dubitant & discrepant, in Jure Civili, omiſſis illorum altercationibus, standum esse Juri Canonico. Ex eodem fundamento, quando est controversia inter Theologos & Canonistas, de usuris, matrimonio & decimis pro Canonistis respondendum esse, docet Everhardus in *Top. loco ab auctoritate*. Præterea si Jus Canonicum contradicat Civili, tum illud servatur in terris Ecclesiæ etiam inter laicos, & hoc in terris Imperii. In dubio autem illa via amplectenda est, quæ Jus Civile & Canonicum ad consonantiam ducit. *C. cum expediat de elect. in 6. l. un. Cod. de inoff. testam.* Neque enim discordia inter Jus Civile & Canonicum statui debet, præterquam si ea expresse reperiatur, Jason. *ad Auth. Novissima n. 32. C. de inoff. testam.*

Acces

Accesit Juri Canonico nuper septimus Liber Decretalium, opera Petri Matthæi, Jcti Lugdunensis, quem is Cardinali Cajetano inscripsit, sed autoritate & approbatione Pontificum adhuc dum destituitur, pariter ut Institutiones Pauli Lancellotti Perusini.

Jus Canonicum plurimos interpretes habuit, qui certatim illud notis & animadversionibus illustrarunt, hoc cum perquam gratum esset Pontificibus, nonnulli ad maximos honores pervenerunt. Innocentius Canonistarum Pater ipsi Ecclesiæ Romanæ perfectus est. Henricus de Segusia Episcopi Hostiensis dignitatem meruit, qui coronat Papam ungebatque Imperatores, cum adhuc Romam proficiscerentur. Panormitanus Abbas primum, Archiepiscopus postea, tandem Cardinalis factus est.

Supereſt, ut de antiquis Canonibus, vulgo Apostolicos nominatos, pauca subjiciamus, quos a nullis aliis quam ab Apostolis constitutos esse ex Can. 83. defendit Martinus Perſius in *Comment. de Traditionibus part. 3.* Cum ibi mentio fiat Onesimi Philemonis servi, quem Ephesi Episcopatu functum, Ignatii literæ & alii Scriptores testantur. Alii ex Can. ult. colligunt, Clementem horum Canonum autorem fuisse. Res omnino obscura est, cum neque de autore, neque de loco, neque de tempore Collectionis certi quicquam constet.

ſtet.

fter. Numerantur plerumque octoginta qua-
 tuor Canones, si distinxeris 12. ut fecit Zonar,
 & Theodor. in Commentariis Græcis, fu-
 erunt octoginta quinque. Alii admiserunt
 sexaginta, ut Xephyrinus Papa in Epistola ad
 Episcopos Siciliae. Antea in Latinis Exem-
 plaribus extabant duntaxat 48. quos recepit
 & probavit Synodus Universalis sexta in Can.
 2. Canones hosce in magna autoritate fuisse
 apud Veteres, præcipue autem in Ecclesia
 Orientali certum est, Hodie tamen, fatente
 Peresio, non plene observantur, aliis pro tem-
 poris & materiae qualitate aut oblitteratis, aut
 ab Ecclesia abrogatis. Isidorus apud Grati-
 anum *distin.* 16. c. 1. diserte testatur pro Apo-
 cryphis haberi: Canones, *inquit*, qui di-
 cuntur Apostolorum, seu quia eosdem nec
 Sedes Apostolica recepit, nec Sancti Patres
 illis assensum præbuerunt, pro eo, quod ab
 hæreticis sub nomine Apostolorum compo-
 si dignoscantur, quamvis in eis utilia inve-
 niantur, tamen ab autoritate Canonica atque
 Apostolica eorum gesta constat esse re-
 mota, atque inter Apocrypha
 deputata.



COMPILATIO JURIS CANONICI.

Anno cl^o CL. sedente Ale-
xandro III. Pontifice, vel,
ut alii volunt anno cl^o CXCIII.
Gratianus Monachus coepit De-
cretum compilare nullo jubente,
quod a subsequentibus Pontificibus
postea receptum est.

Anno cl^o CCXXX. Gregorius
IX. Pontifex suas & Prædecesso-
rum suorum Decretales Epistolas
per Raymundum Capellanum in u-
num Volumen redactas edidit. I-
psam autem compilationem Anno
cl^o CCXXII. institutam putat
Rober-

Robertus Maranta in Speculo part.
n. 39.

Anno cl^o CCXCVIII, Boni-
facius VII. Papa Decretalibus
Gregorianis, qua libris quinque
continentur, Sextum adjecit, pa-
ri numero librorum, & eadem
fere dispositione retenta.

Anno cl^o CCC, XVIII. VIII.
Kal. Novemb. Joannes XXII.
Clementis V. Constitutiones an-
te, quam post Concilium Vien-
nense in Gallia editas, & ab ipso
Clemente publico usui destina-
tas, nisi per mortem interven-
nientem fuisse impeditus, in Avo-
nionensi Civitate, qua tunc tem-
poris Sedes erat Pontificum, pro-
mulgavit, easque Doctoribus &
Schoaribus Bononia commo-
vantibus transmisit, prout Gre-
gorius

gorius IX. & Bonifac. VIII. ante
ipsum quoque fecerant.

Idem Joannes XXII. Papa di-
versis temporibus sui Pontificatus
Constitutiones viginti edidit, quæ
Extravagantium nomen obtinue-
runt, quod vagarentur quasi
extra Corpus reliquorum Cano-
num.

Extravagantes Communes,
quæ continent diversissimorum
Pontificum Bonifacii VIII. & sub-
sequentium, itemque Joannis &
aliorum Constitutiones, in quin-
que libros coaluerunt, quarum
maxime recentes, quæ sub nomine
Sixti IV. comparent.

Anno MD. LXXXII. II. Ju-
nii Gregorius XIII. Pontificatus
anno duodecimo Decretum Gra-
tiani

tiani, ceterasque Juris Canonici partes ex vetustissimis Codicibus emendatas & restitutas edidit, atque sic accesserunt Institutionum libri IV. per Paulum Lancellottum Perusinum compositi.

